



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

VI. De solennitatibus & terminis obseruandis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

positus regis & episcopi sacerdos illius ecclesiae, & reddat ecclesiae cui pertinebit decimam suam, & nonam partem dimittant ei qui decimam suam detinuit, & octo partes in duo diuidantur, dimidium domino, dimidium episcopo, sit homo regis, sit homo thayni.

## V.

Et omnis heordpen reddat ad festum sancti Petri, & qui non soluit ad terminum illum, deferat eum Romam, & etiam triginta denarios, & afferat inde significationem quod tantum ibi reddidit. Et cum redierit domum, emendet centum viginti solidos. Et si iterum reddere nolit, deferat eum Romam, & emendationem eamdem. Et cum redierit, emendet centum viginti solidos regi. Ad tertiam vicem, si adhuc non reddiderit, perdat totum quod habebit.

## VI.

Et solenne diei dominicae conseruetur ab hora nona sabbati usque ad lucidum diei lunae, super forisfactura quam liber iudiciorum dicit & docet. Et alia festiuitas, sicut a sacerdote nuntiabitur. Et omne indictum ieiunium cum omni deuotione seruetur.

---

## CANONES EDITI S V B E D G A R O R E G E , E T A D L E G E S S V A S

CIRCA  
ANNVM  
CHRISTI  
967.

pertinentes, ut in veterissimo manuscripto codice Saxonicus collegii corporis Christi Cantabrigiae reperiuntur, sub hoc frontispicio:

*Hæc quæ sequuntur pertinent ad constitutiones Edgari regis,  
de ordinorum viuendi formula.*

## I.

**D**OCEMVS vt ministri Dei ardentius Deo seruant & ministrent, & pro omni Christiano populo apud Deum intercedant; & vt eorum singuli superioribus suis fideles sint & obedientes, & in communi necessitate vnamimes, auxiliumque inuicem præstantes coram Deo & hominibus, & vt sæcularibus suis dominis firmi etiam sint & fideles.